

PROLEGOMENA

„ abstinui . Si pluribus vocibus unam alii quando reddidi , id propter inopiam lingua ex necessitate factum est , nè sensus ipse fraudaretur , aut sacri textus vis , atque efficacia minueretur . Si quid tamen incauto excidit , quod emendatione dignum videatur , libentissime corrigam . Quali in ceteris versari solet , etiam hic utitur Quesnellus fide pessimâ . Quid enim ? An non legit Clementis IX . Pontificis censuram editam anno 1668 . 20. Aprilis adversus famosam versionem Gallicam novi Testamenti Montibus Hannoniae , ut præ se fert , typis vulgata , atque hanc declarari temerariam , damnofam , à vulgata editione prædicta difformem , & offendicula simplicium continentem ? Centenos autem Articulos in versione Cata launensi , seu Quesnellianâ difformes à versione vulgata , deprehender quisquis utrunque conferre voluerit . Delibemus aliquos : in Epistola 1. ad Cor. cap. 7. num. 9. Monet Apostolus Cœlibes ut , si non se continent , nubant . Quod Quesnellus vertit que s'ils sont trop foilables , pour se contenir , qu'ils se marient : Si sunt nimis infirmi ad servandam continentiam , nubant . Quæ versio & dissimilis est vulgata , ut patet , & in Jansenianis Authoribus admotum suspecta , nè infirmitatis nomine ea intelligatur , quæ continentiam reddit incontinentibus impossibilem . Apostolus autem , ut recte observat Chrysostomus lib. de Virginitate cap. 39. Non dixit , si non possunt , verum si non se continent , virtus voluntatis liberæ , non virium sufficientium defectu . Eadem corruptio placuit interpreti Montensi .

In epistola ad Ephesios cap. 1. v. 5. docemur de Deo , quod Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ . Versio Quesnelli : Nous ayant prédestiné par un pur effet de sa bonne volonté , pour nous rendre des enfans adoptifs en Jesus Christ . Idecst , Qui prédestinavit nos solo effectu sua bona voluntatis , ut nos reddit filios adoptivos . Ubi Gallicum pur æquivalens Latino solus additum à Montensi Interpretè amplexus avidè est Quesnellus , ut esset irrefragabile quodammodo ex ipso Pauli textu argumentum pro prædestinatione ad gloriam merè gratuitâ . Quæ quidem sententia aliunde probabilis , non debuit corruptâ sacrilegè Scripturâ temerè confirmari . Videtur Quesnellus sequi voluisse exemplum Lutheri , qui legens fidem iustificare , addidit solam .

Joannis cap. 17. v. 12. Quos dedisti mibi , custodiri : & nemo ex eis periret , nisi filius perditionis . Quesnellus vertit : J'ay conservé ceux , que vous m'avez donnéz : & nul d'eux s'est per-

du ; mais celuy-là seulement , qui étoit enfant de perdition . Quasi Scriptura dicere , quos dedisti mibi custodiri , & nemo ex eis periret ; sed solum filius perditionis ; adeò ut filius perditionis Judas non fuisset unus ex eis , quos Pater Christo dederat . Quæ quidem interpretatione placuit etiam Montensi interpreti , & ante ipsum Calvinus in cap. 17. Joannis ; sed Sanctorum Patrum nemini . Vulgatam interpretationem sequuntur S. Chrysostomus , Cyrillus Alexandrinus , Theophylactus , S. Augustinus , Nonnus , S. Thomas , Hugo Cardinalis , Maldonatus , & cæteri passim Catholicci . Verba Augustini tract. 106. in Joan. sunt : Sed ut de his , quos tum habebat , discipulis , hæc loqui intelligatur , illud magis urget , quod paulo post ait : CUM ESSEM CUM EIS , SERVABAM EOS IN NOMINE TUYO . QUOS DEDISTI MIHI , CUSTODIVI ; ET NEMO EX EIS PERIRET , NISI FILIUS PERDITIONIS ; Judam significans , qui tradidit eum ; ex isto quippe duodenario numero Apostolorum solus periret . Idem tradit S. Thomas comment. in Joan. cap. 17. Sed uti Calvinus , ita Jansenianis à vulgata , & catholicâ Scripturæ editione recedendum fuit ; quia illa docendo etiam filium perditionis à Deo Patre fuisse datum Christo , nimis perspicuè indicat æterni Patris , adeòque Christi voluntatem præstanti sufficientia gratiæ auxilia ad salutem , etiam non prædestinatis : atque ita Christum sua merita Patri non pro solorum electorum æternâ salute obtulisse , sed etiam pro aliorum .

In eodem Joannis capite 17. ante versum 20. collocat Quesnellus hunc , quem Janseniano affectu fingit , titulum : Jesus prie pour les elus . Jesus orat pro electis . Quod autem ibi Christus non pro solis oret electis , patet ex ipso , qui immediatè sequitur , versu 20. Non pro eis autem rogo tantum , sed , & pro eis , qui credituri sunt per verbum ipsorum in me . Igitur pro omnibus fidelibus . Alibi etiam pro Crucifixoribus oravit .

Joan. cap. 6. v. 45. Omnis , qui audivit à Patre , & didicit , venit ad me Quesnellus Tous ceux donc qui ont ouï la voix du Pere , & ont été enseignés de lui , viennent à moi : Omnes , qui audiverunt vocem Patris , & fuerunt docti ab ipso veniunt ad me , ubi verbum doceri substitutur perfide pro dicere . Eadem fuit versio Montensis , & continet secundam propositionem hæreticam Jansenii Interiori gratiæ in statu naturæ lapsa nunquam resistitur . Nam si omnis quem Pater per gratiam docuit , ad eum veniat , nunquam Deo per gratiam nos docenti resistimus ; quod falsissimum est , & hæreticum ; quia etsi Deus , ut in scholis Magister optimus , bene doceat , multi tamen qui docentur , non discunt , non proficiunt , ut potè